

OLLONBERG, ANDREAS

Oratio de virtutibus boni imperatoris :
(Upps. 11 juni 1658)

[1658]

EOD - Miljoner böcker bara en knapptryckning bort. I mer än 12 europeiska länder!



Tack för att du väljer EOD!

Europeiska bibliotek har miljontals böcker från 1400- till 1900-talet i sina samlingar. Alla dessa böcker går nu att få som e-böcker – de är bara ett musklick bort. Sök i katalogen från något av biblioteken i eBooks on Demand- nätverket (EOD) och beställ boken som e-bok – tillgängligt från hela världen, 24 timmar per dag och 7 dagar i veckan. Boken digitaliseras och blir tillgänglig för dig som e-bok.

EOD bokens fördelar!

- Få samma utseende och känsla som med originalet!
 - Använd ditt standardprogram för att läsa boken på skärmen, zooma och navigera genom boken.
 - *Sök:** Använd fulltextsökning för enskilda fraser.
 - *Klipp & klistra:** Kopiera bilder och delar av texten till andra applikationer (t.ex. ordbehandlingsprogram).
- *Ej tillgängligt i varje e-bok.

Villkor för användning

Genom att använda EOD-tjänsten accepterar du de villkor som ställs av biblioteket som äger den aktuella boken.

- Villkor för användning: <https://books2ebooks.eu/csp/sv/nls/sv/agb.html>

Fler e-böcker

Redan nu erbjuder 40 bibliotek från 12 europeiska länder denna service. Sök böcker tillgängliga för den här tjänsten: <https://search.books2ebooks.eu>
Mer information finns tillgängliga via <https://books2ebooks.eu> boken.

OLLEONBERGH A


FITZ

Kat. 1835

Tors 17 00
Litt. bylat
Val. linn
(An)

Fal.
Lippala.





ORATIO

DE

VIRTUTIBUS

BONI IMPERATORIS

IN


Academia Ubsaliensi Habita

Die II. Junij

ANNI M. DC. LVIII.

Ab

ANDREA Ollonbergh.



UBSALIÆ

Excusa, à JOHANNÉ PAULI Academiæ
Typographo.





EXCELLENTISSIMO, ILLVSRISSIMO QVE
HEROI AC DOMINO,
DN. MAGNO GABRIELI
DE LA GARDIE,

COMITI De Cäckö & Arensborgh/ Lib: Bar:
De Lekholmen/ Domino De Adagnushoff &
Höientorp/ &c. &c. S: R: M:, Regnique
Sueciæ Senatori ac Thesaurario, Generali
Exercituum Statusquè bellici per Livoni-
am, Esthoniã atque Ingriã Vicario. Lega-
to Summo ac Plenipotentiaro ad Tracta-
tum Pacis cum Rege ac Rep: Poloniæ, A-
cademiæ Ubsaliensis Cancellario, Westro-
Gothiæque ac Daliiæ judici provinciali,
Domino meo ac Patrono
Benignissimo,

S.

Illustrissime, Excellentissimequè
Domine,

Quanquam nihil, vel Perillustri Excellentia Tuâ dignum, vel huic materiae par à me afferrî, excogitarive possit; non enim ignoro omnia in Summis Ducibus augustiora esse, quam ut verbis æquari meis possint: nequè nescio, nihil sublimibus oculis offerri, nisi perfectum ingenio, solertiaque elaboratum debere: tamen cum tot tantaque sint, non minus in me, quam Parentes meos, Excellentiae Tuae merita, ut ea vix commemorare omnia, rependere verò minimè queam; vel officij penitus oblitus mei, vel ingratus plane viderer, si maximorum me beneficiorum memorem, nulla grati animi declaratione testificarer. Sed nec alium submissæ gratitudinis testandæ modum inveni, quam ut Excellentiae Tuae oratiunculam hanc meam, de Summi Ducis virtutibus, solius argumenti dignitate fretus, quam officiosissimè consecrarem. Non quidem me latet, parum decere proletarium sermonem in conspectum Perillustri Tuae Excellentia, quam ipsa eruditionis & virtutum quarumvis fastigia certatim commendant, dare: ecquis enim ignorat? Perillustrem Tuam Excellentiam, feris barbarisque Moscovitis undique obsessam tantâ sese prudentiâ explicâsse, tantâque fortitudine fastuosum illum, potentemque hostem repulisse, ut Excellentiae Tuae neque laudes, neque gratias persolvere dignas valeamus. Nimirum id præcipuè unum agit Perillustri Tuae Excellentia, ut Gloriosissimi Parentis Tui, facta vestigiaque prorsus imiteris. Accedunt ad laudem Tuarum virtutumque orbem implendum magnifica officia, quibus S: R: M:^{as} Perillustrem Tuam Excellentiam eminere voluit: quorum quædam hodiè laudatissimè Perillustri Tuae Excellentia gerit, quibusdam etiam dudum gloriosissimè est defuncta. Cui porrò ignota esse potest vitæ Perillustri Tuae Excel-

lentiæ non minus privatiæ quam publicæ summa integritas? quæ
tanta est, ut illam tanquam vivendi exemplar, sibi meritò
etiam heroes proponant. Vererer itaque Perill: Excellentiam
Tuam, tot publicis privatisque curis districtissimam, rudi hoc
indoctoque scripto interpellare, nisi clementiam Perillustris Tuæ
Excellentiæ fere incredibilem, quâ etiam antehac, dum item ru-
dimentorum meorum specimen ederem, clementer audire balbu-
tientem voluisti, cognitam perspectamque haberem. Ad illam
igitur solam precibus confugio, orans ut illiteratum hunc ser-
monem, serena fronte aspicere, mibique ut hætenus, ita in po-
sterum favere Perillustris Excellentia Tua dignetur. Caterum
à Deo Optimo Maximo nullis non precibus contendo, velit Per-
illustrem Tuam Excellentiam bonis omnibus clementer cumulare.
Vivat Illustrissima Tua Excellentia, Vivat Celsissima Princeps,
Vivant Perillustres Heredes, Vivat diu feliciter, vigeat, va-
leatque universa Perillustris Tuæ Excellentiæ, familia.

Illustrissimæ Tuæ Excellentiæ

Ubsalix 9. Julij
A. M. DC. LVIII.

Subjectissimus servus,

ANDREAS Olonbergh.

ORATIO

De Summi Ducis Exercitus virtutibus.

*Magnifice Domine Rector, Generosissimi Domini Barones,
Admodum Reverendi, Consultissime, Celeberrimique Do-
mini Professores, Ceterique Nobilissimi, Præstantissimi,
& Humanissimi Domini Auditores.*



Iuturnum silentium, quod antea ctæ vitæ partim ruditatis mihi, partim puerilis timor imposuit, hodiernus dies, optatò finivit. Non quasi nunc voti damnatus, Apollinis lyram tetigerim, aut dicendi facundiam pollicear: sed quòd vel vituperatione dignos, qui nihil unquam præclari operis conarentur, vel rudes aliàs ad dicendum, exercitatione erudiri magis censerem. Verum cum primus ferè hoc exercitium ingenii mei foetus sit, vereor ne sublimè nimis, & teneris viribus impar dicendi argumentum elegerim. DUCEM enim summum exercitus describere, quâ exornatus prudentiâ, quantâ fortitudine, qualisque in rebus omnibus esse debeat, non pueri, sed eximiæ doctrinæ viri est: imò hæc omnia exercitissimi oratoris ingenium ferè defatigabunt. Vehementer etiam timeo, ne illam arrogantiae exprobrationem, delirum scilicet Phormionem in toga paludatis leges præscribere, audiam: verum justè ride-ri me non judico, cùm non quid faciat summus bonusque dux præcipere, sed pauca ex iis, quæ doctissimi quique bono duci facienda sentiunt proferre, statui. Quæ res ut mihi feliciter succedat, ad exemplum summorum oratorum humiliter invocabo di-

A

vini

vini numinis opem, ut dicenti mihi digna tanto argumento, digna hoc venerabili cœtu contingat oratio.

Omnia, Auditores honoratissimi, quæ ratione & consilio aguntur, feliciter cedere mortalibus, improsperè verò evenire, quæ temerè administrantur, experiendo sufficienter discimus. Domum enim, quæ minus firmis fundamentis innititur, ruere: navim perito gubernatore destitutam, in pelago nunc huc illuc jactari, nunc fluctibus urgeri, ac penitus demergi videmus. Et sicut dempto capite corpus humanum sine spiritu jacet, ita militaris turba, quæ si prudenti caret duce, in omnibus pugnis fugam tentat, cæditur atque deletur. Facile ultrò exercitus Darii testimonium mihi perhibebit, cui præter bonum ducem, nihil defuit. Licet enim magnitudine immensus esset, modico tamen Alexandri Magni exercitui, sed optimo duce instructo, terga semper, non sine maxima strage, dare cogebatur. Sed quorsum hæc demum omnia tendant, vos, Auditores honoratissimi, avidè expectare, amicus oculorum vestrorum conspectus indicare mihi videtur: nempe ut ostendam, non melius sine bono duce exercitum, quàm sine spiritu hominem posse consistere. *Notas* igitur quasdam ceu *VIRTVTES* præcipuas bono Duci necessarias, leviter potius attingere, quàm luculenter describere, institui; satis gnarus indecorum esse, majora quàm vires ferunt promittere. Initium igitur à Ducis *Scientiâ* capio: quæ primas inter militares virtutes obtinere videtur; non quidem ab illa, quæ occultas necessariorum rerum causas

fas investigat ac prodit, sed quæ belli peritia vocatur. Neq; tamen existimabit quispiam, velle me divinarum humanarumque rerum cognitionem à summo duce exercitus procul remotam esse, absit; hanc enim scientiam valdè utilem duci esse, belli verò peritiam, maximè necessariam dico: quæ quantacunque est, ex libris, atque experienciâ potest haberi. Dum enim clarissimorum ducum historias evolvimus, simul ac illorum ingenia factaque admiramur, exemplorum documentis, eorum imitari consilia, & quæ prosperè illis, aut malè ceciderunt, inde capere vel vitare, docemur. Reliquam scientiæ partem, suo fortassis jure experientia sibi vindicat: illa enim, quæ fideliter libri inculeant, ad usum transferre docet. Perfectus namque dux, quem semper docuerunt libri, nunquam verò belli fortuna exercuit, minimè censeri potest: non secus ac ille qui semper quidem virtutis naturam scrutatus, virtuti tamen nunquam operatus est, nequaquam doctor vere Ethicus appellari debet: si verò ad doctrinam, exercitationis quædam ratio accesserit, non potest non dux clarissimus evadere. Quis enim illo scientior unquam erit, qui permulta bella legit, plura verò contra hostes acerrimos gessit: qui è pueritiæ disciplinâ, sub optimis imperatoribus plurima stipendia meruit: qui virtute suâ, ab imis militaribus gradibus ad summos traductus est: qui denique exercitu, multas peragravit regiones, multasque ex hostibus retulit victorias? sciet profectò is optimè, tirones utiles eligere, electos probè exercere, exercitatos in acie benè ordinare,

hostem profligare, prosternere, prostrato spolia opima detrahere, candidaque victoriæ signa suis ostendere. Sciet præterea is, locum pugnae aptissimum eligere, ut neque angustia suis obesse, neque planities hostibus prodesse possit. Sciet quoque is providè milites in itineribus angustis, ab omni periculo immunes ducere. Sciet postremò, sanitati militum ac utilitati optime consulere: ut nulla res in militari usu vel occurrat, vel posita esse videatur, quæ tanti ducis scientiam fugiat. Hæc omnia si nesciret dux, ægrè gregarii militis nedum summi imperatoris officium obire posset. Nesciret enim quis ordo agminis, aut quanta explorationi cura adhibenda esset. Secundarum etiam rerum ambiguitatem consilio moderari nesciret, & adversa interritus perferre ac pati: Non enim temerè, adversa casuum reputat, quem Fortuna nunquam decepit. Per se quisque optime intelligit, duces militaris rei ignaros, facile uno alteroque prælio totum exercitum perdere, imò universum regnum hostium tyrannidi atque ludibriis posse exponere. Exempla per plurima sunt: Darius Persarum Rex innumerales copias, simul cum ipso regno, vitæque suæ tribus pugnis amisit: in cuius perniciem belli imperitia, cum hostis virtute conspiravit. Copiis enim immensis uti nescivit, insuetæque militiæ manus, sarcinis & prædâ onustas duxit, quæ omnia ut in animis Macedonum magnam spem pretiosi spoli potius excitarent, ita Persis maximè fuere, impedimento. Contra Alexander Magnus paucos milites sed exercitatissimos habuit, quibus imperatoris

man-

mandata negligere nefas fuit, summæ verò laudis
exequi: hi ad nutum monentis attendere, univer-
samque belli disciplinam æque benè ac duces scive-
runt; undè probè colligi potest, dux duci quantum
præstiterit, scilicet Alexander semper victoriâ po-
tiebatur, Darius ubique locorum fugam adornavit.
Hic quoque dicendum esset, animi corporisque vi-
gorem in bono duce, sine quo ad militaria munia
obeunda tirones minimè assuefaciat, requiri. Ad-
dendum & illud foret, pace quoque militum exer-
citationem nequaquam intermittendam, sed mili-
taria exercitia etiam sine bello, perinde ac si semper
hostis ingrueret, diligenter curanda esse; verum
hæc, quia omnes valdè utilia esse noverunt, saltem
nominâsse sufficiat. Secundam igitur ducis virtutem
Prudentiam adeo: quâ imperator summus non melius
carere, quàm solis fulgore cœlum & mundus pos-
sunt. Hæc namque virtutes omnes nutrit ac dirigit,
hæc vitia coërcet & frangit, hæc animum in omni
actione regit atque informat, totum denique ho-
minem decorat atque honestat. Hæc virtus hostem
facili negotio opprimere, infortunia antevertere,
strategemata eludere, hostiumque fraudibus oc-
currere docet. Ad hæc, exercitus magnos regere,
militaria ingenia tractare, ferociam illorum tempe-
rare disciplinâ, ad fortitudinem incitare, hortari,
dehortarive, seditiones cohibere & tollere, militi-
busque justa arma, com meatum, omniaque usu ne-
cessaria acquirere, summæ prudentiæ esse judico.
Præterea, adversarii ingenium consiliaque explora-
re, suâ verò tegere, prudens tantum didicit: co-

gnitio verò conditionis consiliique hostis, quantum in bello afferat commodi, difficile dictu est: sæpè enim benè exploratis hostium rebus, vel profligatos hostes, vel penitus prostratos deletosque esse legimus: ut verum illud esse, pecuniam quæ in callidos exploratores impenditur, optimè collocari, affirmare possimus. Postremò, nulla res tanta, tamque difficilis est, quæ non consilio expediri queat; prudentiâ quippe exigua sæpè manus, immensam multitudinem vincit: prudentia persæpè hostis sine armis ad deditonem cogitur; ut singulare hoc Dei ac plane divinum donum prudentiam rectè nominare possimus, qua homines Deus, contra ingentem fraudium multitudinem, pessimamq; astutiam, clementer armare voluit. Hac sane virtute, plus in bello quam vi perficitur, hac unus prudens plus, quam ingens imprudentium multitudo efficit. Hæc igitur virtus per secula laudanda, innumerabiles duces stupendos clarosque fecit. Julium enim Cæsarem omnibus seculis immortalem incredibilis in rebus agendis prudentia atque celeritas reddidit. Annibal, quem tot doctorum elogia commendant, tantum consilio valuit, ut exercitum ex colluvione omnium gentium mixtum, quibus simul cum moribus ac patria, omnia diversa fuerunt, ita amicitia conjunxerit, ut nulla nec inter milites contentio, nec adversus ducem seditio oriretur, etiam quum diutius stipendia expectare cogerentur. Multas præterea gentes Romanorum præfecti, consiliò solo, sine ullo certamine in ditionem suam redigere, ut verum illud admodum esse

videa-

videatur: omnia prius Consilio quam armis experiri, sapientem decere. Denique quid non consilio, clarus, Apollinisque responso renuntiatus Atheniensium imperator Mitiades perfecit? tanta enim prudentia fastuosum Datim qui decem equitum & centum millibus peditum præerat, quorum arma auro argentoque fulgebant, decem tantum militum suorum millibus in Marathonio campo fudit: tantaque solertia superbos Lemnios vicit, ut vel horum exemplorum commemoratio, nobis summam admirationem viri, illiusque calliditatis movere possit. Sed minimè prætereundum, vigilantiam, prudentem ducem maximè commendare, summo-pere igitur in id laborandum duci putamus, ut die noctuque diligentissimè vigiliæ agantur, ne scilicet subitanea ideoque inopinata hostium vis, dormientem ducem, stertentesque milites opprimat: non raro enim historiarum fides testatur, optimos duces, neglectis vigiliis, sub tentorio interiisse. Hujus rei perniciem, licet experiendo satis discamus, vetus tamen Trasymbuli exemplum afferre refert: qui, tantus dux, tantaque præditus vigilantia erat, ut facile summa in eo omnia judicarentur, ad Ciliciam tamen minori quam par erat studio vigiliis curans, noctu à Barbaris in tabernaculo est interfectus. Fugiant igitur duces securitatem fœdam, insidiasque maximè metuant, nemo enim celerius opprimitur, quam qui nihil timet. Mortalium conditio, prohdolor, fere est talis, ut summi optimique duces, frequenter fraudibus, fato, nescio quo infelici ac misero sint obnoxii. Annalium enim veritas confirmat,

mat, tot præclaros duces dolo periisse, ut nullus fere unquam clarus dux extiterit, cui fallaces homines insidiari veriti sint. Hic fortassis gravissima quæstio, si scilicet strategematibus contra hostem uti liceat, explicaretur, nisi tot doctissimi viri ita in eam judicium suum extendissent, ut fere ad illius illustrationem nihil amplius excogitari possit: ad eorum igitur scripta, Auditores honoratissimos, remittimus, dicimusque non solum honestum, hostem bono dolo frangere ac superare, sed hanc rem fere solam esse, propter quam boni duces laudandi sunt. Quis enim non justum ac summis laudibus extollendum putabit, hostem consilio animique vi sine ulla militum jactura vincere? sane si justè quis judicare voluerit, vel stulti videbuntur hi, vel nimium audaces, qui aperto semper Marte victoriam obtinere optant. Nec mehercule per omnia Alexandri Magni justitia probanda videtur, qui adeo strategemata abhorruit, ut latrunculorum & furum solertiam, intempesta nocte, somno oppressos Persas adoriri, nominaret: faciebat enim ille omnia, ut notum est, immodicâ gloriæ aviditate. Verum magis Spartanorum laudabile factum placet, quorum qui hostem dolo ac solertia superasset, taurum, qui verò prælio, gallum immolavit, ut hostiæ diversitas, victoriæ præstantiam indicaret. Cum igitur tanta prædicatione honestus dolus dignus sit, duci maximè ne vitiosa fraude, astuti verius, quam prudentis nomen induat, cavendum. Summa igitur pietate pacta divina humanaque servabit, nihilque honestati contrarium admittet.

Ama-

Amabit igitur dux temperantiam, facilitatem, fidem, humanitatem, semperque conabitur, optimorum ducum vestigiis insistere. Jam si pietatis exempla quis quærat, adeat scripta Davidis & Josuæ; si comitatis in desideriiis adeuntium excipiendis: discat hoc ab Augusto, si temperantiæ ac fidei, proponat sibi Epaminondam, si denique humanitatis clementiæque in suos, legat vitam Darii, cæterorumque optimorum Regum ac Ducum exempla: quæ si omnia enumerarem, formam propositi sermo excederet: missa itaque ea facio, cum *Fortitudo* ducis me diu expectet. Illa scilicet si ullam aliam bellicarum virtutum virtutem appellare fas sit, quæ reliquis virtutibus animæ instar ac spiritus est, hoc nomine decorari debet. Præter enim modum, quem in metu fiduciaque servare docet (nunquam enim vere fortis ad timiditatis aut audaciæ extrema detruditur, sed media semper via incedit) viro etiam in tantum propria est, ut vel nimium raro, vel nunquam fœminis contingat. Bono itaque duci tantopere necessaria, ut sine illa dux esse nequeat. Si enim prudentissimus dux esset, omniaque scienter consilia contra hostes excogitare posset, quid quæso prodesset, si prudenter inventa, tentare fortiter ac perficere non auderet? Certè si animi magnitudo imperatori desit, conspecto hoste vultum mutabit, positamque salutem potius in pedum celeritate, quam virium robore putabit. Si præterea urbes munitissimæ expugnandæ, si gentes bellicosæ subjugandæ sint, prudentia ac fortitudine opus est. Nec victoria ulla, utut prudenter instructa acies

fit, sine fortitudine obtinetur. Hæc enim virtus hostem despicit, hæc de hoste triumphat, ut verè, plurima sæpè Fortitudine in bello effici, quæ consilio non possunt, affirmem. Ergo quibus laudibus cautus & providus imperator, qui se nunquam temere versabili fortunæ committit efferri debeat, vix oratione assequi possum. Occasionem verò in bello diligenter observare juvabit: solet namque sæpè oportunitas, plus virtute valere: fortuito igitur quæ offeruntur, ad consilium dux revocare debet, & fortunæ præbenti se nunquam deesse. Nec aliud docere Antiquitas voluit, dum Janum bifrontem depingeret, quam oportere belli ducem, non solum ea quæ ante pedes sunt agere, sed etiam ad præterita respicere, & cavere futura. Feritate enim temerarii qui in perniciem non necessariam ruunt, non fortes sed fatui habendi sunt, non enim ratione dictitante, sed ira aliove pravo affectu moti, bestiarum more, in vitæ discrimina incurrunt. Iam licet audacissimi qui nullum periculum imò, si diis placet, nec inhonestum detrectant, vulgo multum placeant, maximeque ab illo laudentur, non tamen propterea desipiemus, sed semper nos non vulgi laudum, sed reipublicæ salutis causa dimicare cogitabimus. Quanquam enim temeritas omnia festinanter atque regaliter exequi videatur, stolidam tamen atque infelix est, primum namque cum impetum effudit, sicut quædam animalia, amisso aculeo, torpere solet. Hinc Romani imperii decus Augustus toties jactare consuevit, satis celeriter fieri, quidquid fit satis bene, & providum
impe-

imperatorem temerario semper meliorem esse. E-
tenim nihil minus perfecto duci, quam temerariam
festinationem convenire, arbitrabatur. Vera igitur
fortitudo innumerabiles duces, Deo tamen adju-
vante, invictos præstitit, famæque immortalitate
donavit. Fortitudine enim Cæsar ille Iulius infini-
tas prope gentes subegit: fortitudine Augustus
tantos populos perdomuit: fortitudine Cyrus tan-
tis potitus est regionibus: fortitudine Hercules fa-
mam suam ad posteros transmisit: divina hac vir-
tute, fortitudine infiniti alii imperatores nominis
æternitatem sunt adepti: viri enim fortes nunquam
ignorantur, sæpè verò tædio laboris ad vilitatem
sui compelluntur ignavi. Testis est Nynia, qui,
quasi sexum cum matre mutâisset, belli studiis de-
positis, magis regium inter fœminarum cohortes
vivere, quam cum viris versari, existimavit. Testis
etiam est Sardanapalus, qui, quod melius nere
quam dimicare sciret, victus ab Arbactò, se cum
suis divitiis in ignem conjecit. Sed tractent hi ta-
les fœminei viri lanam cum infamia, ore mani-
busque, nobis tantum fortes animo duces, qui mi-
lites à se fortitudinis exemplum sumere, factaque
sua sequi, non dicta tantum jubere possunt, pla-
cent. Novimus enim, Auditores honoratissimi, vir-
tutem in arduis negotiis maximè laudari, & ferè
nullam rem difficiliorem magisque terribilem mor-
te, præsertim bellicâ, dari. In illa igitur fortitudo
maximè elucet: quantum enim cujusque animo
audaciæ natura aut mores indiderunt, id omne in
bello patere solet. Sed ut terribilis est mors bellica,
ita

ita etiam gloriosissima atque honestissima est. Quicquid enim honestatis causa aggredimur, etiam si minimum fit, suas laudes meretur: summa autem pro patria defendenda vitæ pericula adire: fortiter pro libertate pugnare: acriter puram veramque religionem Deique cultum defendere: parentum liberorumque vitam ab hostium vi ac crudelitate liberare: quid honestius? quid utilius? quid laudabilius? quid jucundius, aut magis necessarium esse potest? sane nec melius mortis genus, nec honorabilius existit, quàm pro hisce fortiter mori. Quot enim hominum millia omnibus seculis summa cum laude pro patriæ charitate occubuisse? quot pro libertate cæsa? quot pro religionis, parentum ac liberorum amore prostrata esse legimus? imò nulum fere justum bellum habetur, nisi quod horum causa suscipitur. In omnibus tamen periculis, tantum sibi dux, ut hominem se, humanique à se nihil esse alienum putet, confidet, eique satis erit, ad mortem non pigre ire. Age quantum fortitudo in imperatore potest audivimus, nunc quid comes virtutum, quam ita appellare audeo, *Fortuna* valeat perspiciamus. Nam si peritus, si prudens, pius ac vere fortis sit dux, non potest non ei benignior fortuna aspirare. Illa multifariam Ethnicis scribendi locum fecit: sed quod occultum & fatalem rerum casum, cursumque esse existimarent, veritatis itinere longe decessere. Nos verò, (sit Deo æterna gloria,) quibus veritatis lumen affulsit, non fortuitam rerum contingentiam, sed providentiam divinam appellari fortunam, sacræ literæ docuerunt.

A Deo

A Deo enim fortuna atque infortunium provenit, cujus mandata si piè Rex servat, prosperam viam suam facit, ait Sanctus Spiritus. Meum enim, dicit Dominus Exercituum, est consilium & æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo: per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt: per me principes imperant, & potentes, & omnes iudices terræ: equi ad bella parantur, sed ego victoriam do, loquitur Iehovah justitia nostra. Hanc fortunam merito nos, non ethnicam temeritatem, potentem rerum dominam vocamus: hæc, munus Dei singulare est, eamque de se ipso nemo præstare potest. Hæc igitur felicitate si careat dux, ad naturæ ipsius perfectionem multum, imo nescio quantum videtur deesse. Licet enim prudentia ad eventus felicitatem permultum faciat: militaris tamen ars persæpè fortunâ indiget. Non enim multum quartâ, ut ajunt, lunâ nati efficiunt, quamcunq; enim rem vel mente agitant, vel opere perficere contendunt, eam semper inimica fortuna averfatur: contra alii, quibus omnia obtemperant atque obsecundant: hi enim sæpe plus auspiciis, quam maximi exercitus expedire possunt. Alexander enim Magnus parvo suo exercitu tantas res in hostili terra, tamque feliciter gessit, ut summæ suæ fortunæ constantiam ipsemet persæpè sit admiratus. Iulius Cæsar tanta usus est felicitate, ut in tantis bellis, tot pugnis, rem nunquam infeliciter à se, præterquam bis actam esse, ipsemet testetur. Sullam & Pompejum Romanos, fortuna adeo amavit, ut illi cognomen felicis, huic verò magni inderet. Infelices verò duces

quibus pertinaciter fortuna resistit, omnia impro-
sperè negotia agunt. Consilia eorum occultissima,
sæpè produntur: exploratores utut callidos emit-
tunt, sæpè intercipiuntur: dolus in hostes præpa-
ratus persæpè in parantis perniciem convertitur:
viribus etiamsi innumerabilibus polleant, tamen
cæduntur, prosternuntur. Testimoniis, si quis ea
requirat, plena est exemplorum vetustas; ut cui
illa enumerare placuerit, potius dies quam copia
deficeret, pauca itaque innumam, ex quibus reliqua
facile judicabuntur. Xerxes qui tantis copiis in
Græciam proficiscebatur, ut Græciæ flumina ab il-
lis exsiccata esse dicantur, quia virtute ac fortuna
careret, semper primus in fuga videbatur. Gallo-
rum intempesta nocte capitolium intrare tentan-
tium occultissimam fraudem, non homines aut ca-
nes, sed anseres clangore strepituque alarum de-
tixerunt. Carthaginensium astutissimus speculator,
qui per biennium Romanos deceperat, Romæ tan-
dem deprehensus est, cum Annibalis fortuna pau-
lulum variari cœpit. Cum igitur fortuna vehemen-
ter profit Duci, maximè providendum, ne felicitate,
quæ nunquam simpliciter indulget, amittat:
tantisper enim duces felicitate summa valuisse ac-
cepimus, dum pietati operam darent, terminosque
à Deo propositos ingenii insolentiâ minimè trans-
grederentur. Hic forte desinerem, Auditores hon-
noratissimi, tædioso sermone vestra patientia abuti,
nisi utilissima virtus *Auctoritas* sua nobilitate me ser-
monem protrahere juberet. Solet namque ea ve-
hementer in bellis administrandis valere, multum
enim

enim interest si imperatorem hostis metuat, vel
contemnat. Gignunt ferè summa felicitas, familiæ
splendor, virilisque ætas, prolem venerabilem au-
ctoritatem. Nullus enim non illum, quem vices be-
nigne aspiciunt veneratur ac timet, omnisque fru-
stra ei obsisti putat, cui fortuna omnia destinasse
creditur. Sane existimatio ducis tantum apud
omnes populos valuit, hodieque valet, ut sæpius
fama magnorum ducum, quam tormenta ac manus
munitissimas urbes, invictosque populos debellent.
Veterum exemplorum nullum illustrius, Alexandri
Magni datur, quem omnes gentes tanti æstimarunt,
ut contra ipsum temerè arma sumi crederent, nec
felicissimus dux, sed numen ferè putabatur. Ad
hæc, ferè semper æquiore animo ducibus natalium
splendore illustribus obtemperamus, tenetque
omnes opinio, majora magnis fortunam tribuisse.
Vult quoque natura, à fortibus ac præclaris, fortes
præclarosque procreari: magnorum enim paren-
tum filiis à parentibus degenerare turpe est, eosque
recordatio suæ nobilitatis agitat. Præterea, ætatis
maturitas æstimationem principis valde auget: præ-
terquam enim quod quæ vir agit, maturo iudicio
bene dijudicata putemus, experientiæ etiam ejus
multum tribuimus. Porrò, severissimè dux in mili-
tum peccata animadvertet, ut nemini errantium
ignoscere credatur: quo temeritas peccandi tolla-
tur, seditiones impediuntur, denique concordia in-
ter milites conservetur. Licet enim austerum du-
cem milites averfari videantur, ipsi tamen obtem-
perant ac per omnia parent. Comitæ tamen seve-
ritas

ritas temperanda est, ut æquè amabilem se, ac honorabilem militibus imperator reddat. Augustus enim moderata gravitate, tantam auctoritatem apud populum Romanum sibi comparavit, ut fere nemo ei contradicere auderet. Cimon Atheniensium summus vir, tantum auctoritate potuit, ut & populum urbanum in sua potestate, & exercitum in officio optimè retineret. Contra faciles duces & mites hostibus quam suis utiliores sunt: apud milites enim vilescunt, quod imperant nemo exaudit, peccatur impunè, sub quorum imperio vitia tantas sibi vires in milites acquirunt, ut qui flagitia tollit, simul ipsos quoque milites tollere videatur; libidine autem, aliisque vitiis fractus exercitus, haud difficulter ac hoste superatur.

Sed quid anxie vetera, eaque externa virtutum bellicarum exempla exquiro? dum nova, veteribus tantum præstantiora, quantum hoc tempus à veteri illo differt, adsint. Sanè virtutum omnium vivum exemplum in Rege Augustissimo nostro habemus. De Illo certè verius illud Ciceronis quam de Julio affirmatur; nullius tantum esse ingenii flumen, nullam dicendi aut scribendi tantam vim, tantamque copiam, quæ non dicam exornare, sed enarrare Regis Clementissimi virtutes resque gestas possit. Eximius enim aliquis in sago extitit, sed hunc pax & otia fregerunt: alius immodica severitate æstimationem captavit, sed eandem postea lenitate nimia amisit: ille gloriam virtute quæsitam, postea in vitia effusus maculavit: ut nullus adhuc vixerit, cui omnium laudum concentus obtingeret. At Regem


nostrum Clementissimum, quanta omnium virtutum concordia honestat: in Illo omnia summa ac perfectissima sunt. Si quis animo fingere velit & possit, qualis perfectissima belli peritia: singularis prudentia: præclarissima fortitudo: præstantissima felicitas, gratissimaque auctoritas sit, & has virtutes omnes in uno cognoscere cupiat, adeat CAROLUM GUSTAVUM. Videor profectò videre Augustissimi Regis prudentissimam aciei instruendæ, fundendique hostis rationem aptissimam: videor etiam audire clementissimas voces, quibus ad fortitudinem excitat milites, quibusque ægrotos ac faucios curari jubet. Iam quanta pietas, quanta temperantia ac justitia Regem Augustissimum decoret, quamque faciles aures privatorum querimoniis ac sermonibus præbeat, cæterasque infinitas Ipsius virtutes si verbis amplificare cogitarem, tantum abesset, ut quidquam gloriæ Ejus adstruerem, ut multum de summa laudum adepturus essem, si eas partes attentarem. Ne igitur, vel ruditate mea, vel sermone incondito, summis immortalibusque Augustissimi Regis virtutibus obsim, illarum celebrationem doctis relinquo, meque ad preces pro Augustissimo Rege confero. Tu igitur ô summe Deus, Orbis moderator & conditor, qui incredibili hac felicitate, summoque hoc munere nos beare clementer voluisti, idem diu patriæ, nobisque omnibus salvum atque incolume conserva. Angelos tuos sanctissimos Regi Augustissimo comites atque imperii custodes mitte. Felicitati inauditæ Augustissimi Regis perpetui-

tatem adde, ut de hostibus victis semper triumphet. Omnia Regis Augustissimi cogitata fortuna, & ad Divini tui nominis gloriam dirige: mentem Confiliariorum illumina, ut tibi summe Deus grata, Regi ac patriæ salutaria consilia subministrent. Regem Augustissimum ab omnibus hostium fraudibus ac insidiis clementer protege: spiritum fortitudinis ac concordiae militibus infunde, ut hostium impetus semper fortiter reprimant, ipsisque unanimiter resistent. Reginae nostræ Potentissimæ ac Serenissimæ omnia bona largire, Illi salutem ac vitæ diurnitatem clementer concede. Principem Hæreditarium Celsissimum in divinam tuam tutelam recipe: permitte ut sapientia, ætate, & gratia coram te atque hominibus accrescat, ut patriæ tandem & Ipse, dum tibi optime Deus placuerit auxilium ac opem ferat, eamque in florentissimo statu, retineat conservetque. Exaudi ô summe omnipotens Deus preces nostras, & Augustissimam Regiam Familiam Universam, eadem benignitate ac clementia ab omnibus malis libera, serva, immunemque præsta, qua Illam ad summum hoc Regium fastigium extulisti.

D I X I.



-
l,
m
l,
e-
s
s
-
r
-
-
-
m
x
c
t
s
-
a
-
n



www.books2ebooks.eu